



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Animae Illvstres Ivliae Cliviae Montivm Marchiae
Ravenspurgi Morsae Annexarvmqve Provinciarvm E
Monvmentis Calamo R. P. Theodori Rhay. Societatis Iesv
Redivivae**

Rhay, Theodor

Neobvrgi Ad Danvbium, 1663

XV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10835

GULPHUM celebrem habet ex VARENNIS Maiorum pietate istuc translatum ægris, inquilinis frequens sanitatis asylon. *Ex Chart. Canoniorum.*

XII.

DUSSELDORPII in *principe Æde adventus* S. PANCRATII Martyris, qui nobili in Phrygia genere natus, ac Roma à Pontifice baptizatus, cū dijs sacrificare constanter renuisset, decem & quatuor annorum adolescens, virili fortitudine, Diocletiani & Maximiniani Imperatorum gladio cecidit, plus ex vulnere glorie quàm sanguinis profundens. *Ex Hist. Eccles. & vita Divi.*

XII.

IN eodem tractu Montano sub idem tempus, venerabilis IOANNIS de Hericheim Cistertiensis in Veteri Monte Conversi, quem admirabilis demissio, labor assiduus, continua taciturnitas, studiūq; precationis, aliæque virtutes ita Deo comendabant, ut primus omnium, dignus habitus sit, cui B. ENGELBERTI vix consummatum Martyrium divinitus revelaretur. *Ex vita S. Engelbertus.*

XV.

SONSBECA pervetusta Clivie vrbs, non Principe, sed suburbano eius in templo, patrocinium

cinium habet S. GERBERNI M. quem incolæ, & accolæ more maiorum constanti precipuôque honore colunt. *Ex Ann. Per. & Heimericij.*

XVI.

TRiumphat hodie ESSENDIA S. MARSII Reliquijs, ab OTTONE istius nominis *tertio Imperatore* isti loco donatis. Cui Religiosissimo Imperatori solemne fuit Diuorum multorum Ossa è tenebris in lucem, magnificâ pompâ transferre, prout & S. MARSII huius Lipsana urnæ ex auro tum subtilitate operis variatæque, tum gemmarum splendore visendæ, piè inseruit. *Ex tab. Essend.*

XVIII.

VPSALIT in Suecia olim colebatur S. ERICVS *Martyr ex sanguine*. B. RICHEZÆ Rex SUECIÆ, S. CHRISTINÆ *maritus Patriæ & pauperum præcipue pater*: libidinis æstus glaciali aquâ suffocavit. *Finlandia Victor fidem intulit.* & contra SÜENONEM *Daniæ Regis Filium Cruce signatus*, aperto campo confligens, *Numine ita volente* piè cecidit Per quietem pridie pugnæ hanc sibi vocem, ut fertur, audire visus est vis esse *Martyr?* cui ipse *Amen reponendo annuit.* An præsignificatio